

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Disputatio De Restituendis Duobus Versibus Jos. XXI. In  
Quibusdam Codicibus Hebraeis Omissis**

**Abicht, Johann Georg  
Flachs, Sigismund Andreas**

**Lipsiae, 1714**

**VD18 11446064**

§. XV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130552](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130552)

significat *obliquitatem & tortuositatem*, einen Weg der Abweichung, Quem sensum etiam deprehendes in glossa B. Lutheri in Bibl. Vitemberg. ad h. l. Landstrasse ist sicher / Holzweg ist fählich / Gottes Wort führet zum Leben, aber Eigendünckel zum Tode / licet versio cum glossemate nequitiam conveniat. Quicquid autem sit, antitheses in isto & seqv. Cap. frequentes ostendunt, hanc lectionem Masorethica esse præferendam, maxime si MSta suffragarentur.

s. XV.

Hæc equidem Bibliorum editio, si R. Eliæ Levitæ iudicio standum, nullius esset pretii, quia secundum Masoram, vel Judæorum traditionem non est emendata. Hanc enim ob causam R. Elias in *Masoreth* Præfat. III. lit. 74. editionem hanc vilipendit, ita de ea scribens:

Propterea admono lectorem Bibliorum magnorum, ut & minorum Venetiis Anno 1778. h. e. Chri. 1518. excusorum, ne respiciat ad voces erroneas expressas in margine, ad formam Keri & Cethibb, neque ad Milel vel Milra, neque ad puncta vel accentus, aut ad aliud quid, quia non facta sunt secundum ea, quæ supra præscripsi. Qui enim ea posuit, nescivit distinguere inter dextram & sinistram suam, non enim fuit Judæus, neque quicquam de Ma-

לכן באתי כמזחיר וכמזכיר לכל  
הקורא בספרי העשרים וארבעה  
הגדולים עם תקטנים הנרפסים  
פא ווניציה בשנת רעח  
שאר ישעיהו אר רברי  
שקר מהמלות הנרפסות  
בגליון כרמות קרו וכתוב  
ומל' מלעיר ומלרע ובשנוי  
הנקודות והטעמים או מאחרת  
מכר אשר לנת תעשינה  
כאשר כתבתי לעיר כי  
המניח

D 2

המניח אותם לך ידע בין  
 ימינו לשמאלו כי לא הורה  
 יחורי ולא ידע מענק המסורת  
 דבר וכל עשה זה אל  
 מפני שמצא לפעמים חלופין  
 בספרי שהיו לפניו נ"א ידע איזה  
 יכשר הזה או זה לכן כתב  
 אחר בחוץ ואחד בפנים ולפעמים  
 הניח האמת בפנים והשקר  
 בחוץ ולפעמים להפך והורה  
 ממש כעור באפלה לכן  
 אין לשים עליהם לב כי  
 תהי המרה:

Primo objicit, hæc Biblia non esse confecta secundum ea, quæ supra præscripsit, h. e. voces defectivas & plenas non ita esse scriptas, uti traduntur a Masorethis. Sed de his quid sentiendum, jam supra dictum. Deinde reprehendit, quod Autor variantes lectiones posuerit, quas in MSis Codicibus invenit, quod non vituperandum sed laudandum est. Christiani recipiunt Codicem Hebraicum, prout ex Prophetarum manibus prodiit; rejiciunt vero traditiones Masoretharum, quas falsas, & sensui Scripturæ adversantes cognoscunt. Porro instat, nescivisse Autorem, quæ lectiones admittendæ, & quæ falsitatis arguendæ sint. Sed unde quæso R. Elias didicit, scorias ab auro, veras lectiones a falsis

sis discernere, num ex Judæorum traditionibus incertis? Mirum non est, R. Eliam quandoque fallere, siquidem illas presso pede sequitur. Nec causa erat Eliæ, ut ignorantiam Felici exprobraret. Quam operam hic adhibuerit, apparet ex ipso opere. Ipse fatetur in Dedicatione ad Leonem X. omnem operam in eo fuisse collocatam, ut absque vitiis Biblia appa-  
 reren: *Is Daniel Bombergius, inquit, neque labori neque sumptibus parcens, publicæ utilitatis gratia, plurimis collatis exemplaribus hosce libros, studio nostro, fide ac diligentia castigatos imprimendos curavit. Rem equidem perdifficilem, nec ob id ab aliis tentatam.* Tantum abest, ut Felix, cui prima Biblia cum Chaldaicis versionibus & optimis Rabbiorum Commentariis debemus, Hebrææ linguæ ignarus appellandus sit. Quis non videt, Eliam de Felici male sentire ob agnitam & mutatam religionem. Nam licet in Judæorum scholis educatus esset, velo tamen Mosis ablato ad castra Christianorum transferat, (vid. Hod. de Bibl. textibus original. P. II. cap. XII. p. m. 461.) non absque Judæorum odio: Hoc tamen ne-  
 tiquam impedire potuit, quo minus hæc Biblia approbationem consequerentur eruditorum, quin imo tanti æstimarentur a B. Luthero, ut, si conjectura nos non fallit, in Germanica translatione eorum lectiones sequeretur. Supra §. 2. ostendimus, Lutherum exhibere in sua versione nostros versus, quos in hac Editione pariter legimus. Præterea Pf. IX, 1. vertit Lutherus, *von der schönen Jugend*, ex quo apparet, B. Virum legisse *עלמות* absque Makkeph, quam vocem sic scriptam hæc Biblia exhibent. Simili modo Psalm. XLII, 15. *Er führet uns wie die Jugend* / convenit cum hac Editione, quæ legit: *וְהוּא יְנַחֵנוּ עַלמוֹת* *ille ducit nos sicut juventutem.* Ubi in aliis Codicibus legitur *עַלמוֹת* *ad mortem.* Porro Jos. IV, 6. Luth. *Wenn eure Kinder hernach mahls ihre Väter fragen werden* / vox *אבותם* *Patres suos*, in nostro & Complutensi Codice legitur, sed in aliis omit-  
 titur.

titur. Sic Jos. VI. 8. Lutherus transtulit: Trugen die 7. Priester die 7. Hall-Jahrs-Posaunen für der Kade des Bundes, ubi in nostro Codice legitur לפני ארון יהוה *coram arca Domini*, sed in aliis לפני יהוה *coram Domino*, omiſſa voce ארון *arca*. Accedit temporis ratio, quæ noſtram conjecturam haud parum confirmat. Anno enim 1517. menſe Novembri Felix ſua Biblia in lucem emiſit, & Anno 1523. Megalander noſter Lutherus vulgavit Pentateuchum, & ſequenti libros hiſtoricos veteris instrumenti, quo tempore R. Jacob Chajim ſecunda Bombergiana Biblia nondum abſolverat, excudi cæpta 1523. & ad finem perducta 1526. Tandem Mattheſius conc. XIII. de vita Lutheri teſtatur: Jonam, Zieglerum, Aurogalum, Forſterum ſecum in Synedrium a Luthero inſtitutum Rabbiorum Commentarios attuliſſe, ex quo noſtra conjectura novum robur acquirit. Sed hæc aliorum diſquiſitioni tradimus.

## §. XVI

Sed redeundum, unde digreſſi, ad Codices impreſſos, in quibus noſtros in controverſiam venientes verſus legimus. Evolvimus Codicem alium, etiam Bombergianum, Anno טו i. e. 304 Chriſtiano 1544. in forma quarta Venetiis impreſſum, in quo prædicti noſtri verſus iisdem verbis proponuntur, quibus in Mſtis & Bibliis Felicis Prætenſis exſtant. Quod nobis mirabile viſum fuit, deprehendentibus, R. Jacobi Chajim, autoritatem tantam non valuiſſe, ut omnia exemplaria ad ejus ſententiam caſtigata ſint. Ulterius legimus eodem verſus in Bibliis Hebraicis cum verſione interlineari Xantis Pagnini, & Bened. Ariæ Montani in officina Plantiniana in 8vo Anno 1613. excuſis, nec non in Lipſienſibus expreſſis 1657. Concordant quoque Biblia Hutteri aliaq; quam plurima a Chriſtianiſ edita, quæ omnia referre nimis laborioſum eſſet. Et ne Chriſtianos tantum Bibliorum Editores produxiſſe videamur, addamus Biblia ab ipſis Judæis publici juris facta. Inveniuntur ambo noſtri verſus in Bibli-